

tolli necesse est. Minor præterea quod in mensa Solis posita, defenditur acerrimè à Crocio d. l. p. 33. 35. *absurdumq;* proclamat eum qui statuit *Deum ab æterno in cælo & terra fuisse, cum cælum & terra ab æterno non fuerint.* & p. 37. l. nunc, (Böhm) *& tanquam absurdum in teatro proclama DEUM in tempore in cælis esse cœpisse.* (Idem p. 36. 44: 45.) Ex quibus argumentor. Quicquid in tempore seu (ut loquitur Crocius p. 44.) cum creaturis cœpit, illud non est æternum. Esse DEUM, seu esse in cælo & terra in tempore &c. cœpit E. DEUM esse non est esse æternum s. ab æterno. Ulterius: Quicquid non est æternum s. ab æterno, illud non est DEUS: DEitas non est ab æterno, juxta Becm. thes. E. DEitas non est DEUS. (hem quò ruunt.) Concludo igitur.

Quicumq; negant DEUM esse Patrem in cælis (& vel DEUM esse DEUM) illi non possunt fiducialiter & cum reverentia eum invocare. Calviniani, ut vidimus, negant &c. E. Consequen-  
tiam probant Ursin. in Catech. p. 855. Danæus d. l. p. 99. Calvin. 1. 3. Instit. c. 20. Polanus, Szeged. &c.

## CAP. IV. DE SINGULIS ORATIONIS DOMINICÆ MEMBRIS SEU PARTIBUS.

### §. LVII.

Ad membra singula ut nunc accessum faciamus, eaq; quantà fieri poterit brevitate perstringamus, monendum.

(1.) Calvinianos non nisi *Sex petitiones* constituere, ut vel in his minutioribus à nobis descivisse videantur, eorumq; odium adversus Lutherum in lucem ponant. Calvin 1. 3. Inst. c. 20. l. 38. ita: *Hæc orandi seu forma seu regula sex petitionibus constituta est: Nam ne iis accedam, qui septem capitibus distinguunt, facit, quòd adversativâ dictione interjecta videtur Evangelistæ duo illa membra voluisse inter se colligere, ac si dixisset,*

M

set,